



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola CX. Gregorii Papae I. Ad Serenvm Episcopvm Massiliensem.
Cyriacum abbatem ad Syagrium euntem commendat, monetque imagines
in ecclesiis non esse confringendas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

a fraternitate tua in eis fuisse præiudicia irrogata. Sed & alteram quorundam relationem in prædicta vrbe degentium, qui prædicti maioris populi partem sequuntur, accepimus. Ex quibus liquido comperimus in duas se partes populum diuissse. Et quia nobis triste & tibi graue est inter habitatores memoratæ ciuitatis prodisse discordiam, quorum vnitati studere debueras ac concordia, ideo fraternitatem tuam his hortamur affatibus, vt cessante omni excusatione, personam huc instructam sub festinatione transmittas, quæ aut in electorum, aut certe in deputatorum a nobis iudicio, si qua pro tuis partibus sunt agenda, aduersariorum intentionibus ac obiectis per omnia valeat respondere, vt veritate cognita, salubrem hic finem causa suscipiat, quatenus rationabiliter omnibus capitulis quæ in altercationem venerant terminatis, nullas in hac contentione ingrauedo vires accipiat, sed sola inter te & filios tuos pax, sicut decet, & caritas perseueret. Quia ergo exortæ contentiones nulla illic possunt ratione distingui, quippe vbi tanta in habitatoribus est nata dissensio, vt nullus sit qui possit in iudicio respondere, siue defendendæ alternæ partis studio remanere; ita fraternitas tua agat, vt in transmittenda persona, sicut diximus, nullam tarditatem qualibet excusatione subiungat.

EPISTOLA CX.

GREGORII PAPÆ I.

AD SERENVM EPISCOPVM MASSILIENSEM.

Cyriacum abbatem ad Syagrium euntem commendat,
monetque imagines in ecclesiis non esse
confringendas.

Gregorius Sereno episcopo Massiliensi.

QUOD fraternitati vestræ tam sero scripta transmittimus, non hoc torpori, sed occupationi deputate. Latorem vero præsentium dilectissimum filium nostrum Cyriacum monasterii nostri patrem vobis in omnibus commendamus, vt nulla hunc in Massiliensi ciuitate mora detineat; sed ad fratrem & coepiscopum nostrum Syagrium cum sanctitatis vestræ solatio Deo protegente proficiscatur. Præterea indico dudum ad nos peruenisse, quod

fraternitas vestra quosdam imaginum adoratores aspi-
ciens, easdem ecclesiæ imagines confregit atque proiecit.
Et quidem zelum vos, ne quid manu factum adorari pos-
sit, habuisse laudamus; sed frangere easdem imagines non
debuisse iudicamus. Idcirco enim pictura in ecclesiis ad-
hibetur, vt hi, qui literas nesciunt, saltem in parietibus vi-
dendo legant quæ legere in codicibus non valent. Tua
ergo fraternitas & illas seruare, & ab earum adoratu popu-
lum prohibere debuit, quatenus & literarum nescii habe-
rent vnde scientiam historiæ colligerent, & populus in pi-
cturæ adoratione minime peccaret.

EPISTOLA CXI.

GREGORII PAPÆ I.

AD SYAGRIVM, ÆTHERIVM, VIRGILIVM
ET DESIDERIVM EPISCOPOS.

Contra simoniacos, ac neophytos, & vetita mulierum
contubernia, atque vt Synodi quotannis fiant. De
his omnibus in Synodo tractari iubet, & ad
se per Cyriacum abbatem referri.

*Gregorius Syagrio, Ætherio, Virgilio & Desiderio episcopis
Galliarum, a paribus.*

CAPVT nostrum, quod Christus est, ad hoc sua esse
membra nos voluit, vt per compagem caritatis & fi-
dei vnū nos in se corpus efficeret. Cui ita corde adharere
nos conuenit, vt quia sine ipso nihil esse possumus, per ip-
sum possimus esse quod dicimur. Ab arce capitis nostri res
nulla nos diuidat, ne ab ea, si eius esse membra refugimus,
relinquamur, & velut eiectione de vite palmites arescamus.
Vt ergo Redemptoris nostri esse habitaculum mereamur,
in dilectione ipsius toto mentis studio maneamus. Ipse
namque ait: *Qui diligit me sermonem meum seruabit, & Pater* IOH. 14.
meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum
faciemus. Sed quoniam bonorum auctori harere aliter non
valemus, nisi cupiditatē a nobis, quæ omnium malorum
radix est, abscindamus; per scripta præsentia, quæ alterno
adinuicem desideratæ visitationis sermone nos sociant,
fraternitatem vestram institutis apostolicis conuenimus,
vt patrum regulis & præceptis dominicis innitentes, de